

beckiensia <sup>f)</sup> ? quid tabulas historiae recentissimae Coburgenses <sup>g)</sup> ? quorum auctores propositum hoc Tuum & consilium universitati doctorum ex merito commendarunt. Atque haec eadem scripta sunt, quae prima hujus thesauri specimina laudibus suis publice profecuta sunt. In quo aemulos habuere etiam alios Reipublicae literariae Mercurios, qui e. c. in Actis Franconiae eruditae <sup>h)</sup> & Relationibus Tubingensibus, <sup>i)</sup> insignis hujus insignium librario- rum collectionis mentionem facere certaverunt.

Ergo Tibi Musae omnes merito gratulabuntur, cum integrum mox exhibueris opus hoc, quod plurimis saepe exoptatum est, nemini tamen prius tentatum; & quod Tu ipse jam abhinc XX. annis aggressus es.

Licebit semper, quoad literarum cultus durabit, talium insignium editorem primum celebrare ROTH-SCHOLTZIVM. Ad Teutique, Amice suavissime, haec gloria pertinet, quicquid forte nonnulli fautores nominis Draudiani obloquantur. Nota est historia de GEORGIO DRAVDIO, qui *typographicum discursum experimentalem ediderit, varium, utilem & jucundum, cum praecipuorum typographorum, illorum imprimis, quorum impensis libri in lucem prodeunt, insignibus, quae frontispiciis librorum imprimere consueverunt, eorundemque expositionibus conjecturalibus.* Addunt, hunc librum anno 1625. Francofurti, in forma, quam vocant octavam, editum fuisse. Sed ego non sum credulus his auctorum, cetera satis illustrium, dubiis relationibus. Manet sua MALLINKROTO, & STRVVIO, manet REIMMAN-

f) An. 1728.  
g) 1729. m. Febr.  
h) P. XVIII. p. 517.  
i) P. IV. p. 59. 60.